

Correspondenzen des Königs und Kaisers Ferdinand I

in kirchlichen Angelegenheiten aus der Zeit von 1546—1559.

Mitgetheilt von Sebastian Brunner.

(Schluss zu Heft 3, S. 173—178 d. Jahrgangs.)

- XIII. Baron Turri benachrichtigt den Kaiser, dass es vortheilhaft wäre, wenn derselbe an die Cardinäle von Trient und Augsburg schriebe, sie sollen die Wahl des Cardinals von Mantua zum Papste durch ihre Stimmen ermöglichen, und fügt eine Tabelle über das Stimmenverhältnis im Cardinals-Collegium bei.

Invictissime Caesar Semper Auguste
Domine Domine Clementissime.

Post scripta, allatae mihi sunt literae istae alligatae quas Tridentinus Cardinalis suo Secretario perscribit, et ille, qui eas ad me detulit, instetit Tridentini nomine, ut Tabellarium ista de causa ad Maiestatem Vestram mitterem. Namque sicuti in aliis literis Maiestati Vestrae notum feci, agitur in Conclavi de Mantuano in Pontificem eligendo, quem cum semper Maiestati Vestrae observantissimus fuerit, propterque alias virtutes, quibus ornatus est, optimum censerem, ut tali dignitate frueretur. Quapropter Invictissime Caesar necessarium esse ducerem, ut Maiestas Vestra statim et absque ullo temporis intervallo scriberet ad Cardinales Tridentinum, et Augustanum, ut pro viribus causam Mantuani coadiuvare debeant, namque Augustanus praeteritis istis diebus Mantuano contrarius fuit cum de eo eligendo ageretur, Literae autem, quae per Maiestatem Vestram mittentur (si absque ulla mora perferuntur) mirum in modum Mantuanum adiuwabunt, Vargae quoque legati opinionem super hac re habere volui, qui etiam censet Mantuanum totis viribus adiuvandam, Quare et si hoc intervallo Mantuanus Pontifex fieret, essent tamen literae illae testes optimi animi Maiestatis Vestrae, Scripsi autem Venetiis Cursorum Magistro, ut omni adhibita diligentia has ad Maiestatem Vestram perferendas curet, Expectabo igitur istarum literarum responsum Quod quanto citius fieri poterit, Maiestas Vestra curabit mittendum, et quam primum Maiestas Vestra voluntatem Suam mihi notam fecerit, eam pro viribus meis executioni mittam; Quomodo autem Cardinales inter se divisi sunt, ex annexa suffragiorum serie. Maiestati Vestrae potebit, Cui me humillime commendo.

Romae die ultimo Septembris MDLVIII.

Maiestatis Vestrae Caesareae

Humillimus ac devotus servus
Franciscus de Turri
baro.

Voti fermi per Mantoa	Fattione contraria	Fattione Neutrale
Ferrara	Fernese	Paceccho
Bellai	Santo Angelo	Augusta
Tornone	Caraffa	Crispo
Scialone	Napoli	Medici
Armignacco	Trani	Dandino
Capo di ferro.	Ariano	Monte
Cicada	Reumano	Messina
Simoncello	Araceli	<u>Montepulciano</u>
Marsilia	Alexandrino	Nr. 8
Ghisa	Pisa	
Santa fiore	Gaddi	
Putheo	Carpi	
Cornaro	Vitelli	
Saraceno	Sanello	
Perugia	Capi Zucca	
Trento	<hr/>	
La Cova	Nr. 15	
Morone		
Cesis	Ghita dice che farà fare a suo modo	
Urbino	Reumano. Si spera che Capi Zucca	
Pisani	non sarà contrario a Mantoa ancora	
Sermoneta	che sia della fattione Caraffesca.	
Strozzi		

Nr. 23

Ad Litteras Turri de 30. Septembris 1559.

Monsg. Carlo. Jo giudico che sia gran servizio della Christianità che il Cardinale di Mantova riesca papa, et son similmente di parer che Sua Maestà cesarea non debba desiderar altro più di lui per beneficio publico al qual sempre ella ha riguardo, però lauderei che Sua Maestà scrivesse al Cardinale d' Augusta et a me eshortandoci a far ogni opera possibile acciò che Mantova riuscisse papa con quelle ragioni che ella saprà assignare havendo quella buona opinione di Sua Signoria Reverendissima che ho io che solo per il ben universale mi son mosso ad aiutarlo perche quando questi Reverendissimi che non hanno voluto concorrer cou noi al Cardinale predetto vedessero che Sua Maestà lo giudicasse degno die questo grado, per beneficio della religione, si potrebbero coll' autorità di lei disporre a favorirlo, Dite adunque questo al Signor Ambasciadore di Sua Maestà acciò che procuri che vengono lettere di questo tenore et mi raccomandando. a di 30 di Settembre 1559.

Christoph. Card.

a tergo: A Monsgr. Carlo Grotta.

XIV. Der Kaiser empfiehlt den 3 Cardinälen die Wahl des Card. von Mantua wegen seiner besonderen Vorzüge. Obwohl er keinen Einfluss auf die Wahl üben wolle, hoffe er doch, dass die 3 Card. Alles aufbieten werden, ein für die ganze Christenheit unheilvolles Wahlresultat hintanzupalten.

Ad tres Cardinales :

Tridentinum, Augustanum, Moronum.

Commendatitiae in favorem Cardinalis Mantuani,
in Pontificem eligendi.

Ferdinandus etc.

Allatum est ad Nos non obscuris authoribus eum fuisse praeteritis diebus Electionis Pontificiae statum, quod parum abfuerit, quin Reverendissimus in Christo pater Dominus Hercules Sanctae Romanae Ecclesiae Sanctae Mariae novae Diaconus Cardinalis Mantuanus, amicus Noster Charissimus Pontifex maximus creatus et declaratus sit, quandoquidem magna pars Cardinalium sua suffragia ad eius Electionem contulerit, quod Nos equidem lubenter audivimus, nam praeterquam quod Paternitati eius Reverendissimae tantam dignitatem obtingere maximopere cuperemus propter Paternitatis Suae Reverendissimae et totius eius Illustrissimae Familiae Principum Mantuanorum praeclarum et sincerum erga Nos studium, mutuaque sanguinis et affinitatis coniunctionem Nobis cum ea intercedentem, eam etiam sapientiam, doctrinam, rerum cognitione ac morum honestate, iisque virtutibus Paternitatem eius Reverendissimam ab altissimo ornatam esse, omnes praedicant, quod Nobis nequaquam videatur dubitandum Paternitatem eius Reverendissimam non solum magno ornamento propter generis splendorem, verum etiam ob eius virtutes summo usui futuram et officio suo Pastoralium cumulatissime satisfacturam esse. Quamquam autem eo animo nunquam fuerimus aut etiam nunc simus, quod velimus Sacro Reverendissimorum Cardinalium Collegio in specie praescribere aut digito monstrare quemnam potissimum ad tam amplum Pastorale munus eligere debeat, quia tamen videmus eosdem pro magna parte eam viam ingressos, quam Nos optabamus, eligendi scilicet Pontificem, qualem haec asperrima et exulceratissima tempora pro beneficio et commodo religionis Catholicae tam foedè dilaceratae postulant, existimavimus Nos abs re facturos, si ad laudem Domini Omnipotentis et utilitatem Christianitatis tam praedictorum Reverendissimorum Cardinalium conatus commendatione nostra promovere studuerimus. Cum autem Paternitatis Vestrae Reverendissimae in Sacro illo Collegio ea sit auctoritas, ut eius suffragium merito plurimum momenti habiturum videatur, Nobisque sperandum sit, pro eius insigni pietate ac spectato in Nos studio, operam eius in re tam honesta et ad eius vocationem pertinente Nobis non esse defuturam, eam

proinde benevole adhortamur, ut rebus sic se habentibus, prout ad Nos delatae sunt, quod scilicet pristina spes de dicti Reverendissimi Cardinalis electione etiamnum vigeat, non solum ipsa votum seu suffragium suum ad eandem electionem conferat, sed alios quoque, ut in eam ipsam sententiam descendant, omnibus modis inducere studeat, ac si qua sinistra fortuna alii privatis affectibus et passionibus attracti studia sua aliorum verterent, adeoque Electio ista practicis et diversis artibus impediri et nimis differri videretur, Paternitas Vestra Reverendissima pro sua integritate ac erga Religionem et Rempublicam Christianam studio omnem lapidem movere velit, ut in ejusmodi Electione omnes cogitationes et omnes conatus Reverendissimorum illorum Patrum solum ad honorem et laudem Dei, nec non Catholicae religionis Nostrae ac totius Christianitatis utilitatem spectent, ita ut talis Pontifex eligatur, qui doctrina et inculpatae vitae exemplo Ecclesiam Dei recte moderari ac regere sciat, prout id Paternitati Vestrae Reverendissimae summae curae futurum nequaquam ambigimus, quae certe ea ratione Christianitati plurimum proderit, et à Deo haud dubiè amplissimam mercedem consequetur, apud homines vero qui recti sint iudicii magnam gratiam inibit, Nos quoque id benevolentia Nostra Caesarea Paternitati Vestrae Reverendissimae quoquo loco et tempore studebimus compensare. Quae recte valeat.

Datum Viennae die 14. Octobris 1559.

XV. Kaiser Ferdinand trägt dem Baron Turri auf, gleich nach der Wahl sich dem neuen Papste, wer er auch sei, vorzustellen und ihm zu melden, dass der Kaiser baldigst einen ständigen Gesandten nach Rom senden werde. Die Ankunft desselben habe Turri in Rom zu erwarten. Sollte der Card. von Mantua noch Aussicht haben, gewählt zu werden, so solle Turri die beiliegenden Briefe den Adressaten übergeben und seine Wahl nach Kräften fördern. Weitere Instructionen.

Oratori de Turri.

De Electione Pontificis et quid ipsi hac peracta agendum. Quomodo Cardinalis Mantuanus promovendus ad Pontificatum etc.

Ferdinandus etc.

Quas ad Nos dedisti literas 23 et ultima proximè praeteriti mensis Septembris datas, unà cum eorumdem appendice seu postscripto accepimus, et lubenter cognovimus in quo statu tunc versabat negotium Electionis Pontificiae, et quod tu cum Reverendissimis Cardinalibus ulterius egisti eo tempore, quo Serenissimi Regis Hispaniarum Orator à Paternitatibus illorum Reverendissimis ad audientiam admissus fuit, eamque tuam operam et diligentiam clementer sanè laudamus et probamus prout nec

illa nobis improbantur, quae facere cogitas auxilio et favore Reverendissimi Cardinalis Tridentini, quando Cardinales Conclavi egressi Pontificem Nostri studiosum elegerint, ubi tamen tibi a praescripto harum litterarum nostrarum nequaquam recedendum erit, nam mens et voluntas nostra est, quod tibi quoque per praesentes expresse injungimus, ut quocumque Pontifice electo Sanctitatem ejus tanquam Orator noster quamprimum adeas. Eique pro tua persona et munere oratorio ultro congratuleris, ostendendo idoneis et appositis verbis te cum primis laetari Sanctitatem ejus ad amplissimam illam Dignitatem Dei beneficio fuisse evectam, et Nos haud dubiè summam quoque voluptatem inde percepturos simul atque id ex tuis litteris, quas summam iam celeritate ad Nos dedisses, intellecta essemus, Nosque haud dubiè statim missuros esse alium Oratorem, qui Sanctitati tuae nomine Nostro congratuletur et continuè in Curia Romana residens alia, quaecumque electum Romanorum Imperatorem summo Pontifici, ut Ecclesiae supremo in terra Capiti praestare convenerit, praestet, adeoque te, ut id Sanctitati tuae significares, expressum a Nobis mandatum accepisse. Ita namque Nostro judicio commodissime retinebis possessionem muneris et officii ad Oratorem Romanorum Imperatoris spectantis et successori tuo omnes difficultates illas, quae in hoc negatio ei possent occurrere, explanabis. Cujus adventus, quemadmodum nuper etiam tibi confidimus, omnino tibi Romae expectandus erit. Nam tametsi facile possumus conjectura assequi, res, quae Venetiis imperfectas reliquisti, tuum reditum magnopere requirere, tamen Romana quoque negotia ejus sunt momenti, quod Oratore ibidem carere non possimus, dabitur tamen à Nobis opera, ut misso isthuc, quamprimum fieri poterit, eo quem diximus successore tibi diutius isthic non sit haerendum. Porro quia scribis (quod et aliunde ad nos allatum est) majorem suffragiorum partem in Electionem Reverendissimi Cardinalis Mantuani inclinare et propterea Reverendissimo Tridentino ac Oratori Vargas videri Dominationem illius Reverendissimam favore et commendatione Nostra per literas ad ipsum Tridentinum ac Reverendissimos Augustanum et Moronum scribendas omnino adjuvandam et promovendam, non potuimus Paternitati illius Reverendissimae in hac parte deesse. Itaque scripsimus ad eos hoc exemplo, quod praesentibus est adjunctum. Quare nunc tibi clementer et expresse committimus, ut in eventum, quo res in pristino statu ratione Electionis ipsius Reverendissimi Mantuani extiterint, hujusmodi litteras iis modis, quibus rectius tutiusque fieri poterit, ipsis Cardinalibus reddi cures, et collatis cum Oratore Vargas consiliis Electionem illius, quantum per te fieri potest, juvandam suscipias, sin autem interea mutatio rerum incidisset, nimirum si vel Pontifex esset creatus aut alius votis et suffragiis superior evasisset, nec videres,

quicquam his literis nostris profici posse, tunc eas non reddas. sed fideliter apud te retineas, et rem ipsam in summo arcano serves. In quo exequeris bene gratam et expressam voluntatem Nostram, erga te clementer recognoscendam.

Quod attinet ad negotia tua privata, etc.

Datum Viennaë 14. Octobris 1559.

XVI. Der Kaiser trägt dem Baron Turri auf, er solle sich Gewissheit darüber verschaffen, ob der frühere kaiserl. Caplan Jacob Naguerras wirklich Ferdinand und seinen Sohn Maxim. verlästere und verleumde, denselben, wenn sich dieses Gerücht bestätige, der verdienten Strafe übergeben und den Kaiser sofort davon benachrichtigen.

Domino Francisco de Turri.

Ferdinandus etc.

Nobilis fidelis nobis dilecte.

Allatum ad Nos est fide dignis authoribus venisse Romam Jacobum Naguerras Theologiae Doctorem olim Decanum Viennensem et Capellanum nostrum, qui nimis immemor acceptorum plurimorum beneficiorum non revereatur ibidem nos et serenissimum Principem Dominum Maximilianum Regem Bohemiae etc. Filium nostrum charissimum ac ministros nostros et praesertim Concionatorem nostrum venerabilem Episcopum Gurcensem graviter traducere, sicuti ex adjuncta scheda latius cognoscet, quae quidem ejus perversitas et ingratitude cum sit pessimi exempli nec ullo pacto tolerari debeat, tibi per hasce literas nostras clementer firmiterque committendum duximus, ut diligenter inquiras an is, ita ut ad Nos perlatum est, nostrae et serenissimi filii nostri famae et dignitati detrahat, aut nos tam indigne proscindat, quod si verum esse compereris, consilio et auxilio Reverendissimorum Cardinalium Tridentini et Augustani Principum et amicorum nostrorum charissimorum, quibus eadem de re scribimus adiuncto exemplo, omnes vias ac rationes ineas, quibus tanta hominis temeritas et petulantia serio cohibeatur, ne scilicet impunis abeat, et nos postmodum quicquid in hoc negotio resciveris et egeris quam primum certiores facias, exequuturus in eo benegratam et expressam voluntatem nostram.

Datum Viennaë 8. Decembris 1559.

XVII. Ferd. ersucht den Card. von Augsburg, dem Baron Turry in seiner Thätigkeit gegen Jacob Naguerras nach Kräften beizustehen.

Cardinali Augustano.

Ferdinandus etc. Reverendissimo etc.

Allatum ad Nos est haud dubiae fidei auctoribus isthic Romae versari Jacobum Naguerras Hispanum Theologiae Doctorem

olim Decanum Viennensem et Capellanum nostrum domesticum, qui cum multis beneficiis a nobis liberaliter affectus sit, eas nobis referat gratias, ut Nos et Serenissimum Principem Dominum Maximilianum Regem Bohemiae etc. Filium nostrum charissimum ac ministros nostros et praecipue Venerabilem Episcopum Gurensensem, Concionatorem nostrum non revereatur graviter vituperare et traducere, sicuti Paternitas Vestra Reverendissima a Consiliario et Oratore nostro nobili fideli nobis dilecto Francisco Libero Barone de Turri latius cognoscere poterit, Quae quidem sacerdotis illius perversitas et ingrati animi malignitas cum sint pessimi exempli, nec ullo modo tolerari debeant, dedimus proinde negotium praefato Oratori nostro, ut diligenter inquirat, an ille ita indigne ut nobis est demonstratum, nos filiumque nostrum proscindat, Quod si verum esse comperit, consilio et auxilio Paternitatis Vestrae Reverendissimae omnes vias et rationes ineat, quibus efficere possit, ut tanta hominis temeritas serio cœrceatur. Quocirca a Paternitate Vestra Reverendissima benevole petimus, ut pro suo erga nos candido et praeclaro studio non gravetur in hac re dicto Oratori nostro adesse. Quod cum sit ab aequitate non alienum, fecerit etiam nobis Paternitas Vestra Reverendissima rem in eo gratissimam, eidem benevolentiae nostrae Caesareae studiis compensandam.

Datum Viennae die 8. Decembris 1559.

In simili ad Cardinalem Tridentinum.

Excidium vere horribile

Abbatiae Sti Maximini prope Treviros,
conscriptum ab oculari teste Alexandro Henn,
ejusdem coenobii Religioso et postea Abbate.

(Conclusio.)

Cajum Caligulam memorat Seneca, cum ob repentinam aëris intemperiem splendidissimo apparatu indicta spectacula exhibere non posset, in eam sacrilegae mentis insaniam erupisse, ut vibratis in altum sagittis Jovem ipsum in certamen pugnamque devocaret, horrendum inclamans: »aut tolle me aut ego te!« Quanta dementia! Subjungit philosophus: »putavit aut sibi noceri ne a Jove quidem posse, aut se nocere etiam Jovi posse!« Non minor quoque dementia Trevirici nostri Caligulae fuit, qui, dum execrabile impij animi decretum in exurendis Apostoli Matthiae reliquiis exequi de coelo prohibitus fuisset, et ipse ardentibus furiarum taedis exagitatus taliter exarsit, ut mentis impos iraque furens vel ipsi Coelorum reginae laureatoque Trevirorum martyrum senatui nefarium omnique odio imbutum bellum indicare atque